

motus, sed unus tantum, quo animal movetur. Ergo sufficit etiam, quod eadem operatio sit ex metu displicens sub una ratione, et placens sub alia, licet non interveniat duplex actus. Et præsertim, quia ille actus conditionatus, vel est conditionatus ex parte objecti, vel ex parte actus. Si ex parte actus, nondum datur de facto, sed dabitur, si ponatur conditio. Si ex parte objecti, talis actus est absolutus ex parte voluntatis, quia de facto voluntas vult aliquid, tota conditione tenente se ex parte objecti, ut quando quis facit votum actualiter, de facto, et in re ad intrandum religionem, si liberetur ab infirmitate. Hoc autem non requiritur ad operationem ex metu, nam etiamsi quis non habeat de facto voluntatem non projiciendi merces in mare, sed solum velleitatem, de facto tamen operatur, et elicit actum.

XVIII. Respondetur negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia violentum non invenitur in actibus elicitis, et internis voluntatis (ut vidimus) sed in actu externo, imperato, atque adeo executivo voluntatis. Non potest autem in actu executivo inveniri duplex motus, alter absolutus, alter conditionatus, quia cum sint motus in executione, non stat aliquem esse sub conditione ex parte actus, sic enim suspenderetur executio, conditione non purificata. Et hac ratione etiam in actione exteriori non facta ex metu non datur duplex actus, sed unus; verbi gratia in ipsa projectione mercium, unus tantum motus datur, non duplex, alter ad projiciendum, alter ad non projiciendum. Et sic etiam in motu animalis mixto ex violento et naturali, non datur duplex motus, sed unus, quia ille motus externus est, et executivus, non alter conditionatus, alter executivus; si autem esset duplex motus,

et violentus et naturalis, et uterque executivus, mutuo se impedirent; et sic est unus, qui simpliciter est naturalis prædominante natura animalis, et secundum quid violentus ex contrarietate ad gravitatem. Cæterum in metu, præter actionem externam, datur etiam interna voluntas et internus actus elicitus a voluntate, cui cum objectum proponatur duplici modo, seu secundum duplicem rationem, scilicet secundum se, ut displicens, et repugnans (et sic fundat affectum simplicem, et conditionatam voluntatem volendi, et faciendi illud, si non obstaret metus) et deinde, ut conducens hic et nunc ad evadendum metum, seu periculum, et hoc modo fundat affectum efficacem, quia inde dimanat electio efficax, et executio externa. Quare in metu non repugnat dari istum duplicem actum elicitem, et internum: intra voluntatem autem dari possunt, non solum actus efficaces, sed etiam inefficaces. In violento autem repugnat dari actum elicitem a voluntate, qui sit violentus, et sic repugnat dari actum conditionatum violentum in voluntate, sed solum datur violentia in executione, seu in actu imperato, et hic non potest esse inefficax, quia executio est; nec duplex, quia oppositus naturali est.

XIX. Quod vero dicitur de actu illo conditionato, respondetur quod utroque modo potest inveniri in casu metus, scilicet vel absolute, et in re de facto productus, licet conditionatus ex parte objecti; sicut si in tempestate eliceret quis actum, quo de facto, et in re proponeret non projicere merces, si tempestas non sit, et determinate dicat: Nolo projicere si tempestas non detur: iste actus est absolutus ex parte actus, quia de facto, et determinate procedit a voluntate, et ex parte objecti

est conditionatus. Potest etiam dari conditionatus, non solum ex parte objecti, sed etiam ex parte ipsius actus, videlicet si stante tempestate solum curet de projectione mercium, et salvatione vitæ, non curando de eliciendo aliquo actu circa tale objectum, ita quod de facto determinet, nec dicat se nolle projicere merces, si non sit tempestas, sed omittat talem actum, est tamen in tali dispositione, quod vellet non projicere, si tempestas non esset. Et ratione hujus dispositionis dicitur habere velleitatem non projiciendi, et ex illa dispositione de facto non projiciet, si tempestas cesset, quia sufficit talis dispositio, ut oriatur voluntas non projiciendi, quoties cessaverit occasio tempestatis, licet nunc nondum habeat de facto talem actum. De facto vero projicit merces, et operatur talem projectionem, quia hæc non dependet ab illa velleitate, vel dispositione non projiciendi, sed ab altera voluntate, et electione efficaci, quam habet projiciendi, quia hic et nunc conducit ad evadendum periculum.

Unde colligitur obiter, quid sit velleitas, ex qua non constituitur aliquis de facto volens, sed solum quod vellet si talis conditio adesset. Dicimus enim, quod velleitas potest sumi, vel pro actu secundo in efficaci; vel pro actu primo, seu dispositione ad volendum. Primo modo non est aliud, quam actus voluntatis inefficax, et conditionatus, quo alicui placet in actu secundo res aliqua simplici affectu, et quoad executionem solum sub conditione se habet, quia non vult absolute exequi, sed sub conditione, si hoc vel illud ponatur, et sic vellet exequi, et non vult. Secundo modo velleitas non est actus, sed dispositio voluntatis ad habendum actum tale, si talis conditio poneretur, sed de

facto nihil vult, vellet autem in tali occasione, et ad hoc habet dispositionem, et determinationem in actu primo, et sic est velleitas in actu primo.

QUÆ EX METU FIUNT, SIMPLICITER VOLUNTARIA SUNT.

XX. Est conclusio hæc D. Thomæ in hac quæstione, articulo quinto, ubi diligenter est notandum, non dicere D. Thomam quod ea quæ fiunt ex metu sunt volita, sed quod sunt voluntaria. Nam volitum (ut supra diximus) tenet se ex parte objecti, et est denominatio in objecto voluntatis ab actu volitionis. Sic autem objectum ex metu, seu causa metus manifestum voluntati, est secundum se displicens, et ideo stat bene quod id, quod fit ex metu sit minus volitum, hoc est minus amatum quia minus placens. Sed tamen dicitur simpliciter voluntarium, quia consistit in hoc quod est procedere a voluntate, et sic ad videndum, an id quod fit ex metu sit simpliciter voluntarium, solum oportet attendere an simpliciter procedat a voluntate; id enim quod de facto procedit, simpliciter voluntarium est. Et de facto aliquid in vi metus procedere a voluntate, experientia videmus, cum multa de facto ex metu fiant, ut cum projiciuntur merces in mare, et metu mortis multa eliguntur de facto fieri, quæ sine metu non fierent. Unde etiam ex hac parte objectum ipsum, seu operatio, quæ fit ex metu potest dici objectum volitum non absolute, et secundum se, sed ut ponendum, et exequendum in se, ipsa enim executio, et positio volita est.

XXI. Ex hoc autem sumitur fundamentum conclusionis positæ, quæ est D. Thomæ, quia voluntas efficax simpliciter reddit operationem

voluntariam, inefficax vero non, esto versetur circa objectum magis volitum, aut magis placens secundum se; sed in his quæ fiunt ex metu datur voluntas efficax ad efficiendum opus de facto, verbi gratia, projectionem mercium; inefficax vero ad non projiciendum, licet secundum se magis vellet non projicere. Ergo illud primum est magis simpliciter voluntarium. Major constat, quia voluntas efficax est illa, quæ de facto ordinatur ad executionem, et operationem in esse, et non sistit in interiori velle; inefficax vero non respicit executionem de facto, nec illam ordinat: ergo in voluntate efficaci procedit actus, et operatio executiva a voluntate, non in alia. Voluntarium autem est illud, quod a voluntate procedit, seu a principio intrinseco; ergo a voluntate efficaci simpliciter, et per se fit denominatio voluntarii, hoc est ejus, quod a voluntate procedit, hoc enim nomine voluntarii intelligitur. Minor autem de se patet, quia qui operatur ex motu, projicit de facto merces in mare; ergo de facto procedit operatio illa a voluntate, quia sine voluntate operatio illa non fit.

XXII. Confirmatur, quia quæ fiunt ex metu contra fidem, aut legem Dei simpliciter sunt peccata; ergo simpliciter voluntaria. Consequentia patet, quia in tantum aliquid est peccatum, in quantum voluntarium. Antecedens probatur in eo, qui fidem negat metu tormentorum, talis enim mortaliter peccat, et gravissime, quia infidelis est, et amittit fidem. Et Petrus ex metu Christum negavit, et peccavit gravissime. Ergo quæ ex metu fiunt sunt simpliciter voluntaria, quia sufficit illud voluntarium ad peccatum mortale; ergo simpliciter sunt libera; ergo simpliciter voluntaria. Certe multoties eligimus media de se aspera et displicentia

propter finem conservandæ vitæ, et evitandi periculum mortis, ut abscissionem brachii, famem, vel nuditatem, et hæc sunt simpliciter voluntaria, quia simpliciter libere electa, et acceptata; ergo idem erit in his, quæ fiunt metu causa, quia hæc assumuntur ut media ad vitandum periculum. Quis enim dicat, quod projicere merces metu periculi tempestatis sit involuntarium, et abscindere brachium metu infirmitatis sit voluntarium? Utrumque ergo est vere electum, et electione factum; ergo utrumque est voluntarium simpliciter. Hæc eadem sententia sumitur ex Damasceno libro II fidei, cap. XXIV, et Nysseno lib. V de homine, cap. I; Aristotele III ethic. cap. I, dicente, quod ea: « Quæ ex metu fiunt magis sunt similia his, quæ homines sponte faciunt. »

XXIII. Sed objicies auctoritatem Aristotelis et D. Thomæ, quæ in hac parte difficultatem facit. Nam Aristoteles III ethicorum, cap. I dicit: « Quod simpliciter nemo fortunas suas sponte ejicit, sed propter suam, cæterorumque salutem. » Et addit: « Quod qui ex metu operatur, simpliciter fortassis invitus, nemo namque talium quidpiam expeteret unquam. » Similiter D. Thomas 2-2, q. CXLII, a. III, docet: « Quod id quod fit ex metu simpliciter non est voluntarium, quod autem fit ex concupiscentia est simpliciter voluntarium. » Et addit solutione ad tertium: « Quod in timiditate est magis voluntarium, secundum quid, et non simpliciter. » Ergo contradicit D. Thomas Aristoteli et sibi ipsi, quando in præsentia docet, quod operatio ex metu est simpliciter voluntaria.

XXIV. Confirmatur, quia id quod fit ex metu, fit suppositione mali instantis, et non absolute. Quod autem est tale ex suppositione, non est simpliciter tale, sed secundum quid:

ergo. Major constat, quia extra casum metus illa operatio non fieret; ergo solum fit ex suppositione timoris. Minor probatur, quia id quod fit necessario, et infallibiliter ex suppositione simpliciter manet liberum, sicut qui operatur ex auxilio efficaci simpliciter operatur libere, licet in sensu composito operetur necessario necessitate consequenti, et ex suppositione. Et in concupiscentia constat, quod id quod fit ex illa, simpliciter est voluntarium, quia simpliciter voluntas potest illi resistere, licet ex suppositione concupiscentiæ trahatur violenter ipsa voluntas, et minus voluntarie, quia ab alio extrinseco allicitur. Sic ergo metus causat simpliciter involuntarium, quia absolute, et secundum se displicet. Illud autem est simpliciter tale, quod convenit rei secundum se, licet ex suppositione periculi voluntas velit oppositum, sed non simpliciter.

XXV. Respondetur ad locum Aristotelis, quod non sumit ly simpliciter, pro eo quod est perfecte, et absolute tale, sed pro eo quod est præcise, et abstracte, et quantum est ex meritis objecti nude, et simpliciter considerati, non prout vestitur circumstantiis hic et nunc, et prout respicit efficaciter executionem. Itaque ly simpliciter, est idem quod secundum simplicem affectum, et non secundum efficacem: simplex autem affectus non facit voluntarium absolute, et per se, sicut efficax. Et ita D. Thomas III ethic. lectione I, dixit: « Quod illud simpliciter est considerare rem in universali, » proprium enim est universalium abstrahere a conditionibus particularibus, ut hic et nunc. Ea ergo, quæ fiunt ex metu, si considerentur simpliciter, hoc est nude secundum se, et ex meritis objecti, non sponte, sed involuntarie se habent: tamen considerando secundum particula-

res circumstantias hic et nunc, et prout conducunt ad evitandum periculum, sic sunt voluntaria absolute, et simpliciter. Unde idem Aristoteles, qui dixit simpliciter neminem fortunas suas sponte ejicere, addidit statim, sed propter suam, cæterumque salutem. Ergo ly simpliciter contra ponitur ei, quod est propter propriam salutem, aut cæterorum: quasi dicat, quod remoto isto fine subveniendi propriæ salutis, nemo appetit sponte suas fortunas ejicere, sicut remoto fine sanitatis, nemo appetit scissionem venæ, vel brachii, et tamen posito illo fine, non tollitur, quin ista reddantur voluntaria absolute, et simpliciter, id est, de facto, et in re. Bene enim stat, quod aliquid simpliciter, et nude consideratum sub uno statu non appetatur, et vestitum aliis circumstantiis, et requisitis, appetatur. Æquivocatur ergo in illo termino simpliciter, quod aliquando sumitur prout se tenet ex parte objecti pro simplici, et nuda consideratione objecti abstrahendo a circumstantiis, et executione, correspondetque illi simplex affectus, et non efficax ex parte voluntatis. Aliquando sumitur pro eo quod est absolute, vel perfecte tale. Et primo modo invenitur in metu involuntarium secundum simplicem affectum, et considerationem objecti simplicem, et nudam. Secundo autem modo invenitur voluntarium quantum ad efficacem executionem voluntatis. Unde ibidem subdit Aristoteles. « Quod istæ operationes assimilantur magis voluntariis. Voluntariæ enim sunt tunc cum operatæ fuerint; finis autem operationis secundum tempus est. » Quod est dicere, quod respiciendo finem secundum occurrentiam temporis hic et nunc, voluntariæ sunt illæ operationes, licet secundum se, id est, præscindendo ab illa occurrentia

temporis, et finis sic moventis, non eliguntur, et nec placent tales operationes in affectu simplici, et inefficaci.

XXVI. Ad testimonium D. Thomæ respondetur, verba ejus sic habere in loco citato: « Quæ fiunt ex timore principium habent ab exteriori impellente, unde non sunt simpliciter voluntaria sed mixta, ut dicitur in tertio ethicorum. » In quibus verbis ly simpliciter tale, est idem quod solum esse tale, id est, non sunt solum voluntaria pure, sed mixta ex voluntario, quia non omnimodo, nec ex omni parte voluntaria sunt: contraponit enim D. Thomas ly simpliciter ad ly mixtum; ergo ly simpliciter est idem, quod non solum, seu non pure, et omnibus modis; aliquando enim simpliciter tale est idem, quod omnibus modis tale, aliquando idem quod absolute, et sine addito tale, ut docet S. Thomas III p. q. LX, a. v.

XXVII. In solutione vero ad tertium cum dicit D. Thomas, quod in timiditate consideratur magis voluntarium in generali, minus autem in particulari, et ideo in ea est magis voluntarium secundum quid, et non simpliciter, loquitur de timore non ex parte actus, seu operationis, quæ ex metu fit, sed ratione finis propter quem movetur, verbi gratia propter evitandum periculum mortis, hic enim finis consideratur secundum se, et in generali, seu abstracte, magis amatur, omnes enim de se amant effugere pericula, et sic consideratur in communi magis voluntarius, et magis placens est. In particulari autem, scilicet ut assequendus per media talia, quæ sunt aspera, et difficilia, ac de se minus placentia, verbi gratia per projectionem mercium in mare, per abscissionem brachii, per matrimonium coactum ob metum

reverentialem, etc. minus amatur, in quantum consequendus illo medio ita difficili. Ipsum vero opus ex timore factum, secundum se minus placet, minusque voluntarium est, tamen ut conducens ad illum finem de facto, et efficaciter ponendum, qui est evadere pericula, simpliciter est voluntarium, quia efficaciter a voluntate est.

XXVIII. Ad confirmationem respondetur ex D. Thoma hic ad tertium quod illud quod agitur ex metu non agitur sub conditione, vel ex suppositione, sed de facto, et in re, et ideo denominatur voluntarium simpliciter. Quare esse aliquid tale ex suppositione stat dupliciter. Primo, ex suppositione non tollente executionem de facto, et in re, sed potius adjuvante, et hæc suppositio non tollit voluntarium simpliciter, quia non tollit, quod procedat operatio actu, et in re. Alio modo suppositio non est ad faciendum, et exequendum de facto, et in re, sed aliquam conditionem, vel respectum apponit, sub quo res non fit absolute, et simpliciter, sed solum declaratur habitudo aliqua, vel status sub quo non compatitur illa operatio stante illa suppositione; et tunc suppositio illa non reddit voluntarium simpliciter, sed secundum quid. Et hoc modo se habet necessitas in sensu composito, quando componitur efficax auxilium cum potentia libera. Non enim sensus compositus facit, quod de facto, et in re actus necessario fiat, de facto enim libere fit; sed solum importat impossibilitatem auxilii efficacis cum detentione, seu non executione operationis liberæ, quod est solum inducere necessitatem consequentem, non antecedentem, id est, non necessitantem, seu influentem necessitatem in actum, sed expedientem omnia, quæ requiruntur ut libere de facto fiat talis actus, ex

qua expeditione consequitur, ut non stet oppositum fieri in re, et de facto; non tamen quod fiat actus necessario, quia illa expeditio, quam facit efficax auxilium, non solum est ut fiat actus, sed ut libere fiat.

XXIX. Suppositio ergo timoris imminentis est suppositio conducens, et influens ad hoc ut operatio de facto fiat, quia in ordine ad talem finem, scilicet ad evadendum periculum inducit eligere media, alias secundum sese displicentia, et consequenter conducit ad hoc ut illa operatio simpliciter voluntaria sit, quia de facto procedit, et oritur a voluntate, et in hoc formaliter ratio voluntarii consistit. Alioquin si talis suppositio faceret voluntarium secundum quid, omnis electio, et operatio circa media esset secundum quid voluntaria, quia semper fit ex suppositione alicujus finis, et non absque omni suppositione; si quidem electio mediorum supponit intentionem finis, et ex illa suppositione finis procedit.

XXX. Quod autem dicitur secundum se esse involuntarium, et displicens id quod metus causat, respondetur ex D. Thoma hic ad secundum, quod ly secundum se in his quæ respective dicuntur, variatur secundum comparisonem ad aliud. Et ideo non repugnat quod id, quod ratione sui, et sub præscissione consideratum est involuntarium, sub alio respectu, et in ordine ad executionem de facto hic et nunc sit simpliciter voluntarium. Alia enim est consideratio rei secundum se, quoad præcisam rationem objecti, et denudatæ a circumstantiis; alia ipsius rei ut vestitæ aliquibus circumstantiis, et in ordine ad executionem; et sic ratione unius considerationis potest intelligi, quod a voluntate procedat, quod alias sub alia consideratione, et in alio statu nec fieret, nec procederet.

XXXI. Major objectio, et difficultas posset contra hanc resolutionem desumi ex eo, quod aliqui contractus, qui metu fiunt, ipso jure redduntur invalidi, non alia ratione, nisi quia simpliciter voluntarii non sunt sicut matrimonium ex metu factum redditur validum, ut constat ex capite Locum, et ex capite Veniens de sponsalibus; imo omnes contractus ex gravi metu celebrati invalidi redduntur, ut constat ex toto titulo De his quæ vi, metusve causa. Et idem est de voto ex metu gravi emisso, ut habetur in dicto titulo, cap. II. Et Concilium Tridentinum sess. XXV, de regularibus, cap. XIX, concessit ut religiosi ex metu professi possent intra quinquennium reclamare, et si probaverint professionem ex metu esse factam, quod sit nulla. Ergo quæ fiunt ex metu sunt simpliciter involuntaria; alioquin si ab absolute voluntaria essent, absolute talia ex metu facta valerent. Multa etiam præcepta non obligant stante metu gravi, ut præceptum de audiendo sacro, de solvendo debito, de reddendo deposito. Ergo judicantur involuntaria in jure ea, quæ ex metu fiunt.

Hæc difficultas postulat resolutionem suam ex sequenti dubio.

CONTRACTUS EX METU QUANDO SINT INVALIDI, QUANDO NON.

XXXII. Circa hoc ultimum dubium, quod est non tam circa operationes ex metu, quam circa effectus, verbi gratia, circa contractus ex metu factos, duplicem distinctionem oportet præmittere. Prima distinctio est, quod metus alius est gravis, seu justus, et cadens in virum constantem, hoc est virtuosum, et prudentem, quia illum etiam prudentes cum recta ratione timere